

OXIDUM PLUMBI SULPHURATUM.

(Plumbum Ustum.)

℞. Plumbi in frustula Q. V.

Funde in vase terreo non vitreato, ampliori, et adde cochleatim continenter agitando sufficientem quantitatem Sulphuris pulverati, donec in pulverem nigrum redigatur; postea in porphyrite laeviga donec in pulverem subtilem abeat.

Hic subjiciuntur

Oxidum Plumbi Semivitrificatum,

Rubrum,

Carbonas Plumbi Albus.

Vide Mater. Medic. Syllog. Clas. III.

CAPUT XLVI.

PRAEPARAT. EX ZINKCO.

ZINKCUM PURUM.

℞. Zinkci quantum volueris.

Liquefac igne moderato, quo fluat, nec ignem magis intende. Fortiter virga ferrea

agita. Injice alternatim Sulphuris plura frustula, Sebi pauciora. Removeantur scoriae, si quae formentur, donec Sulphur tandem liberè totum comburatur.

OXIDUM ZINKCI SUBLIMATUM.

(*Flores Zinkci.*)

Rx. Zinkci quantum libuerit.

Immitte in crucibulum triangulare, cui superimpone aliud simile crucibulum, sed inversum, ita, ut anguli utriusque alternentur. Colloca inter carbones accensos. Zinkcum igne forti liquatum flammam concipiet, et sublimabuntur Flores Albi, qui utrumque crucibulum implentes flammam exstinguent. Tunc rutabulo Ferreo Flores remove, ut Zinkcum denuo exardeat: quod repete, donec omnis Zinkci portio in Flores sit conversa: quos, si satis albi non sint, in aliud crucibulum candens paulatim injice, et ure ad perfectam oxidationem.

Dosis interne à granis sex ad decem.

aaa

Simili modo paratur

Oxidum Antimonii sublimatum,

Seu *Nihil Album* ab antiquis vocatum.

SULPHAS ZINKCI,

(*Vitriolum Album.*)

R̄. Zinkci purificati quantum libuerit,
Acidi Sulphurici Aquosi Q. S. ad dissolu-

tionem.

Filtra, et post debitam evaporationem
crystalliza S. A.

Usus plerumque externus.